



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Jacobus Poenitens. 28. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

28. Ian.

VITÆ SANCTORVM.

61

lum, imò eundem cum Paulo magistrum Spiritum S. habuit? Nam hunc obvolitantem capiti suo, dum sacris operaretur, conspexit ipse; illum, dum ad mensam scriberet, assistere dictanti similem alii etiam viderunt. Talis itaque JOANNES cum urbe suâ hæreticos, & cum his vitia alia, ac blasphemiam imprimis proscriberet, sanctæ libertatis vindex acerrimus, æqui justiq; unicus amator in odium Augustæ Eudoxiæ incidit: nam JOANNES imperii sui etiam in Reges memor templi aditu gravibus ex causis profanam prohibuerat, & in statuam ejus, quæ propter templum choreis ludisq; non sanctis colebatur, graviter detonuerat; jamq; secundum exul in meliorem patriam cælum abiit, ad id à geminis, quos supra memoravimus, Apostolis & D. Mart. Basilisco invitatus. Siluit itaque aureum hoc os anno post reparatam salutem septimo supra quadringentesimum. *Ex Surio.*

Tene sobriam religiosis virtutibus disciplinam; sit tibi vel oratio assidua, vel lectio; nunc cum Deo loquere, nunc Deus tecum; ille te præceptis suis instruat, ille disponat: quem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. S. Cypr. Ep. 2. ad Don.

S. JACOBUS PŒNITENS.

28. Januarii.

Hominis, mi lector, speculum cape & peccantis & pœnitentis, JACOBVM inspice. Hic postquam Anachoretæ XL. omnino annos DEO militavit, miranda maxima patravit, trophæa de hoste inferno statuit plurima, id ætatis vir à feminâ demum triumphatur, & ab eâ feminâ, in quâ ipsum cacodæmona non horruerat, imò è

C 7

quâ

quã victum eiecerat. Huic itaque infelix primò pudorem, mox vitam extorquet. Et verò tertium scelus accumulasset desperabundus, & victum se mundo dedidisset, nisi à tam turpi fugâ sanctissimi viri operâ DEVS retraxisset. Tum enim verò ad se redire JACOBVS, sepulchrum vivus subire, mortem suam vivus deflere in decimū annum usque: cælo interim oculos nunquam attollere, vix semel aut iterum in hebdomade de herbulis vesci, quæ ad ostium conditorii crevissent. Ipse certè Apostolus peccato mortuum dixisset. Sed nunquam pulchrius ille vixit, quàm sic mortuus. Nam suppliciiis hic spontaneis placatum Numen disertis verbis ex Episcopis nonnemi signficavit, beatum imbrem, quem tam anxie sed necquicquam postulabant, non nisi ad preces JACOBI concedendum. Atque hoc aliisq̃ ejuscemodi miris cùm iterum orbi innotuisset, mori denique desuit annos natus LXXV. habuitq̃e novo more unum idem, & domicilium & sepulchrum. *Ex Surio.*

Cur pudet peccatum tuum dicere, quem non pudet facere? aut cur erubescis Deo confiteri, cujus oculis non potes abscondi? Quòd si pudor tibi est, uni homini & peccatori peccatum tuum exponere, quid facturus es in die judicii, ubi omnibus exposita tua conscientia patebit? S. Bern. in sent.

S. CONSTANTIVS EPISC. M.

29. Januarii.

Nobilissimis parentibus ortus est CONSTANTIVS; opulentam hæreditatem his demortuis aditurus, nisi alios succedere sibi hæredes vivos voluisset; inopes scilicet assem CONSTANTII abstulere. At hic infulam Perusinam paulò post tulit.

Quia